

2.K. 417, 18.

X 2346 519

DE

Π i
2019

VSV SCRIPTORVM
VETERIS ECCLESIAE

(2)

DISPVATIO ALTERA

AMPLISS. PHILOS. ORDINIS CONSENSV
PROPOSITA

A


SAM. GODFR. GEYSERO

PHILOS. ET LL. AA. MAG

RESPONDENTE

THEODORO IOANNE ABRAHAMO SCHVTZIO

WENDISCHOSS. LVSATO S. TH. CVLT



DIE IVLII A. C. clo lo cc LXV

HORIS POMERIDIANIS

VITEBERGAE



EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHVS



VSV SCRIPTORVM
VETERIS ECCLESIAE

DISPUTATIO ALTERA

DE...
...
...

SAM. GODFR. GEYSER

...

...

...

...


...

...

...

...

...





DE
VSV SCRIPTORVM
VETERIS ECCLESIAE

DISPUTATIO II

§. VI
SUPERIORIS SEGMENTI
CONTINUATIO

Sed multo maius et animaduersione dignius illud est, quod libri Patrum saepenumero exhibent integra loca ex Graecis Romanisque Scriptoribus, Poetis imprimis, petita, inferuientes ea ratione *Critices* et *Philologiae* studio, idque non uno modo. Primum collatione talium locorum nonnihil adiuuari emendationem veterum librorum, nemo huius rei peritus ignorat. Quantum V. C. in uno CLEMENTE ALEXANDRINO numerus locorum, ex Poëtis graecis, imprimisque HOMERO, haustorum, inest! quae si rite compares cum iisdem locis, ut exstant in libris HOMERI editis, saepiuscule ad inueniendam aut certe confirmandam ueram huius uel illius loci lectionem aliquantulum ualere intelliges; modo adhibita hac cautione, ut diligenter attendas, num quis locus disertis uerbis laudetur, an, uerbis paullulum mutatis, contextui, in quo occurrit,

rit, fuerit accommodatus; ueluti in illo loco HOMERI ex *Odyss. M. p. 184.* apud CLEMENTEM ALEXANDR. in *λογω προτερητων* p. 73. ed. Paris. ubi *νωιτεσην*, quod est apud HOMERVM, mutatum est in *θειοτεσην*, contextu ita postulante. Nempe CLEMENS loquitur de uoluptate, illecebris suis homines deliniente, et, ut illae *Syrenes* apud HOMERVM, omnibus occurrantibus, quasi cantu suo, suauiter blandiente. Sed uerba ipsa CLEMENTIS adducamus; *αδει δε, inquit, προηδιον αραων, ηδων, πανδημων τεροπομενον μουσικη:*

Δευζ' αγ' ιων, πολυαυ' Οδυσει, μεγα κυδος Αχαων
 Νηα κατασησον, ινα θειοτεσην οπ' αλουσης.

canit autem formosa meretricula, Voluptas, quae publica oblectas Musica:

*Gloria Graecorum ueni, age huc illustris Vllysse,
 Siste ratem, diuina audire ut carmina possis.*

Hic quamuis CLEMENS *θειοτεσην* ponat: lectio tamen uulgaris, ubi est *νωιτεσην* bene se habet. Nam apud HOMERVM loquuntur *Syrenes*, quae omnino *νωιτεσην* οπα (*nostros cantus*, ut uertit CICERO) dicere et poterant et debebant. Verum apud CLEMENTEM loquitur *Voluptas*, una numero, a qua *νωιτεσην* erat alienissimum. Vnde elegantissimus ille scriptor leui et admodum apta mutatione substituit *θειοτεσην* (conf. *Jorin's Remark, up. Ecclesiast. History T. II.*) Praeter Poëtarum uero ueterum loca, ex Philosophis etiam et Historicis antiquis, ut hoc addam, loca saepe integra in libris Scriptorum ecclesiae inserta legimus, quae eundem, quem dixi, usum criticum habent. Eximia talium locorum exempla, ex Historicis, ueluti LIVIO, TACITO, cert. adductorum, sunt apud PAVLLVM OROSIVM in *libro Historiarum aduersus Paganos*, qui uel ex hac causa in magno pretio habendus est.

Neque uero haecenus modo profunt Patrum libri, ut, adducendis Graecorum et Romanorum Scriptorum locis, occasionem praebent ad emendandos ueteres libros: sed
 etiam

etiam atque adeo magis largam messem fragmentorum h) ista ratione suppeditant. Quo in genere nullus fere feracior est i) EUSEBIO in *Præparatione Evangel.* itemque CLEMENTE ALEX. Quamvis equidem non negem, esse ibi nonnulla, quorum γνησιότης in dubium possit uocari, ueluti *Oracula Sybillina*, quae manifeste spuria sunt: plura tamen existimo esse genuina, licet suis non semper reddi possint autoribus. Atque in his multa sunt haut parui pretii. Vellem exempli loco subiicere ex SOPHOCCLIS nescio qua Tragoedia deperdita non ignotam illam ῥησιν laudatam et ab aliis et imprimis a CLEMENTE ALEX. in λογῶ προτροπτικῶν p. 48. quae huiuscemodi est:

Εἰς τὰς ἀληθείαις, εἰς ἓς ὁ Θεὸς
 Ὀς οὐρανὸν τ' ἐτεύχε καὶ γαίαν μακρὴν
 Πόντου τε χαροπὸν οἶμα κανεμένων βίας
 Θνητοὶ δέ, πούλυκερδία πλανώμενοι
 ἰδυσσάμεθα πημάτων παραψυχὴν
 Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθινων ἢ ξυλῶν ἢ χαλκῶν
 ἢ χρυσοτευκτῶν ἢ ἐλεφαντίνων τυπούς
 Θυσίας τε τούτοις καὶ κενὰς πανηγυρεῖς
 Νεμόντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομιζόμεν.

*In ueritate est unus, est unus Deus,
 Qui machinam coeli solique condidit,
 Pontique fluctus coeſit, et uehementiam
 Ventorum: at ipsi, auara gens mortalium
 Et recreantes, qui incidunt, casus graues,
 Simulacra Diuum lignea, lapidea; aenea*

C 3

Ebur-

- h) Nempe de fragmentis antiquiorum Scriptorum hic tantum sermo est. Nam de iis fragmentis, quae ex *Celfo*, *Porphyrio*, *Iuliano* seruarunt *Origenes*, *Eusebius*, *Cyrillus* in altera parte disputationes nostrae separatim nobis dicendum erit.
- i) Huc pertinet etiam ΠΗΟΤΤΙ, *Patriarchae Constantinopolitani*, *Bibliotheca*, continens copiosissima Excerpta ex libris ueteribus omnis generis. At cui ista ignota sunt?

*Eburnaque smal condidimus atque aurea:
 Diisque sacra facimus, et festos dies
 His dedicantes, esse dicimus pios.*

Sed, nisi omnia me fallunt, uersus illi *Sophoclei*, aut plane spurrii et commentitii sunt, aut uehementer tamen et insanabiliter uitiati, id, quod a doctissimo BENTLEIO in notissima illa *Epist. ad Milium*, inserta *ed. Oxon. IO. MALALAE Chron.* extra omnem dubitationem positum est. Atque in argumentis, quibus utitur, illud maximi momenti esse uideretur, cum probat, locum istum plane abhorrere a uenustate attica nec ad *χαρμηνα Sophocleum* esse accommodatum; quod tam uerum est, ut, quid contra dici possit, non uideam.

Iam, si mihi libitum esset, omnia congerere, quae ullo tantum modo rem meam attingere uideantur: multus esse possem et admodum uerbosus in recensendis iis Scriptoribus christianis antiquis, qui uel illustrandis graecae et latinis libris uel explicandae graecae romanaeque linguae de consilio operam dederunt. Quo pertinent v. c. ISIDORVS in *libro Originum*; EVSTATHIVS, Episcopus Thessalonicensis, in eruditissimo opere *Homerico*; SVIDAS in *Lexico Grammatico-Historico* et alii, satis noti et tractati omnibus graecae romanaeque litteraturae studiosis. Quo magis etiam his percensendis commode superfederi posse mihi uideatur, praesertim ad alia properanti.

§. VII

HISTORIA PHILOSOPHIAE ANTIQVAE MVLTVM LVCIS EX SCRIPTIS PATRVN ACCIPIT

Sequitur locus copiosissimus et longe admodum lateque patens, *de Historia Philosophiae antiquae ex libris Patrum illustranda*; qui, si mihi plene absoluteque tractandus foret, multo longiorem disputationem desideraret, quam instituti
 mei

mei ratio patitur. Quare primum omittam totum illud caput de philosophia Doctorum ueteris ecclesiae, tractatum iam a multis et pene exhaustum veluti a BRVCKERO, viro cel. in *Historia Crit. Philos.* CVDWORTHIO et MOSHEMIO in *Systemate intellectuali*; BALTIO in *Apologia Sanctorum Patrum Platonismi accusatorum.* (*Defense des saintes Peres accusez de Platonisme.*) Neque hoc abs me quisquam postulet, ut, quantum monstrosarum de religione opinionum prouentum philosophiae abusus in ecclesia ueteri attulerit, longa *Gnosticatorum, Manichaeorum, Arabicorum* cett. commemoratione exponam. Suffecerit mihi, illud tantum breuiter attingere, quid ad Philosophiae antiquioris, graecae inprimis, historiam uel illustrandam uel locupletandam Patrum libri adferant adiumenti.

Verum, ut omittam eos, quibus, ut uidetur, hoc propositum erat, ut breuem philosophiae ueteris historiam oratione complecterentur, e. c. *Pseudo-Origenem* in *Φιλοσοφμενοις*, quem librum cum cel. BVDDEO Historiae philosophicae compendium recte dixeris, item *Hermiam* in libro, qui inscribitur *Διασυρμος των έξω Φιλοσοφων*: de iis inprimis uidetur breuiter dicendum esse, qui doctrinam et religionem christianam ab hominum non christianorum reprehensionibus defendere ita instituerunt, ut eam cum eorundem Philosophia et religione compararent atque eam ob causam multa, ex uberrimo philosophiae antiquae quasi penu deprompta, disputationibus suis adspargerent, quae nunc, ei illustrandae, mirifice profunt. Hac ratione usi sunt apologetici scriptores fere omnes; ex Graecis quidem IVSTINVS MARTYR, ATHENAGORAS, TATIANVS, ORIGENES, CLEMENS ALEXANDRINVS, EVSEBIVS, THEODORETVS cett. et ex Latinis TERTVLLIANVS, ARNOBIVS, LACTANTIUS, AVGVSTINVS et alii.

Quod autem ueteres Patres in isto argumento tam frequentes et copiosi sunt, eius causam ipsi nobis exposuerunt. Duo huius generis afferam ex multis testimoniis, sed clarissima.

suma. Primum est *Lactantii in lib. I. Institut. div. Omitteramus*, inquit, *testimonia Prophetarum, ne minus idonea probatio uideatur esse, quibus ab his omnino non creditur. Veniamus ad autores, et eos ipsos ad ueri probationem testes citemus, quibus contra nos uti solent, Poetas dico et Philosophos; ex his, unum Deum probemus, necesse est. Et Arnobius aduersus gentes lib. II. Interim tamen o isti, inquit, qui admiramini, qui stupetis doctorum et Philosophiae scita, ita non iniustissimum ducitis, inequitare, illudere tanquam stulta nobis et bruta dicentibus, cum uel ea uel talia reperiimini et uos dicere, quae a nobis dici pronunciarique ridetis?* Ex quibus patet, qua ratione adducti Doctores ecclesiae huius generis argumentis plurimum et libenter usi sint, nempe ut, comparatione christianae et non christianae doctrinae facta, illam esse ueram et omnibus, quibus innotesceret, accipiendam demonstrarent.

Atque non ii profecto fuerunt sancti Patres, qui negarent, ipsius doctrinae christianae singularem quandam ac diuinam, prout ipsa est diuina, esse uim, quam in omnium exerceret animos, qua, ueluti afflatu quodam diuino, mentem humanam ad assensum flecteret, qua cogeret, impelleret, ad se raperet uel eos ipsos, qui antea maxime aduersati fuerint. Testis est Origenes, qui in *Apol. pro religionis christianae ueritate contra Celsum*, statim in initio praefat. ad *Ambrosium* multa hac de re egregie disertaeque disputat; eam esse religionis christianae pulcherrimam dotem, ut, si uel taceat, suam tamen ueritatem aliis facile probet, si modo aduersarii paullo attentius adhibitis animi mentisque neruis contemplari eam uelint. (Εστὶ ἐναργής ἐλεγχος ἐν τοῖς πραγμασι καὶ παντῶν γραμματῶν κρείττων λόγος, ὅτι τὰς ψευδομαρτυρίας ἀφανίζων καὶ τὰς κατηγορίας μὴ δὲ πιθανότητα εἰς τὸ δυναθῆαι τι αὐτὰς, ἐνδίδως; est in ipsis rebus manifesta redargutio et uerbum quibus scunq̄ue litteris praestantius, quod

et

et facta testimonia reddit euanida, et criminationibus, ut quidquam efficiant, ne uerisimilitudinem quidem concedit; l. c. p. 1. ed. Spenc.)
 Etsi igitur tantum abest, ut Doctores ecclesiae ipsam doctrinam christianam non satis per se ualere et ad retundenda aduersariorum tela et ad suam ueritatem aliis probandam, ut potius de eius diuinitate aliter persuaderi ad ueritatem nemini posse crederent, nisi de eiusdem interiori reconditaque praestantia ac ui ipsi constet: attamen haut facile fieri posse arbitrabantur, ut ii, qui alieni a religione christiana nati educatique essent, hac doctrinae nostrae praestantia, quantumuis licet singulari, et commouerentur et ad illam accipiendam inflammarentur quam aut ignorarent aut longe aliam esse putarent; ueluti aegrotus, qui cibos respuit, nunquam adduci poterit, ut epulas, quas adponis, conquistissimas licet et admodum salubres sumat, nisi persuasum antea habeat, quam e re ipsius futurum sit, hos cibos capessere. Adhibenda igitur esse Doctores ecclesiae putabant argumenta quaedam, ut ita dicam, aliena et extrinsecus arcessita, quibus doctrinae christianae ueritatem confirmarent contra eos, qui illi aduersarentur, ut saltem faciles aures inuenirent, cum in explicanda eius praestantia ulterius progredi uellent.

Ex iis, quae posui, apparet, duo potissimum esse, quae hac ratione obtinere uellent Patres ecclesiae, qui quandam doctrinae christianae et Philosophiae graecae similitudinem laudabant; primum ut pertinaciam aduersariorum, qui obsurdescebant, nec ea, quae a Christianis docebantur, audiebant, frangerent; deinde, ut eos similitudine quadam suae ipsorum Philosophiae et eius laude delinitos, doctrinae christi-

D

stianae

stianae paullatim conciliarent. ^{k)} Rectene id fecerint, an secus, id quidem nihil ad nos; aut si ad nos, nihil ad hanc rem. Illud tantum hoc loco tenendum est, hanc argumentandi rationem, qua Doctores ecclesiae frequenter usi sunt, magnum monumentum facere ad Historiam Philosophiae antiquae; cuius profecto bonam partem, occlusis illis fontibus, ignoraremus ^{l)}).

§. VIII

VSUS PATRVM IN HISTORIAE CIVILIS ATQVE ANTIQVITATVM, CHRONO- LOGIAE ET GEOGRAPHIAE VE- TERIS STUDIO

De *Historia civili*, quae erat tertia elegantioris doctrinae pars, nobis hoc loco attingenda, ita agemus, ut primum, quid ex scriptorum ecclesiasticorum libris ad ipsius Historiae studium; deinde, quid ex iisdem ad eas etiam litteras, quae cum Historia cognatione quasi quadam coniunctae sunt, nempe *Antiquitates*, *Chronologiam* et *Geographiam veterem* peti possit praesidii, breuiter exponamus.

In

^{k)} Conferendus est de illo argumento Cel. BRVCKERVS in *Oratio Vindelicis*, in quo peculiaris hac de re disputatio inest.

^{l)} Pressius ista enucleari et posse et debere probe noui; sed terminis, quibus inclusus sum, prohibeor, quo minus et hoc loco, et eis qui sequuntur, latius euagari possim. Qua de causa neque exempla huius rei, quemadmodum propositum mihi erat, subicere neque de reliquis libris Scriptorum ueteris ecclesiae huc pertinentibus, ueluti BOETHII lib. de *Consolar. philos.* item AENEAE GAZAEI ET ZACHARIAE MYTELENSIS *Dialogis de immortalitate animi*, exponere pluribus possum.

In *Historia* igitur *ciuili*, quam uariis et multiplex sit usus Scriptorum ecclesiae, quamque foecundus adeo ad locupletandum uastum illum ueteris *Historiae* campum, argumento sunt haec. Primum patet sua sponte et per se, *Historiae* ecclesiasticae et *ciuili* coniunctionem esse arctissimam ^{m)} quae hanc habeat uim, ut multis admodum ac magnis rebus, pertinentibus ad *Historiam* *ciuilem*, plurimum lucis ex *Historia* ecclesiastica accedat et contra. Unde saepenumero accidit, ut scriptores ecclesiastici, cum *Historiam* ecclesiae exponerent aut partem aliquam huius *historiae* perfequerentur, multa attingerent, arcessita ex *Historia* *ciuili* eiusque adeo studio eximie profutura. Cuius generis quamplurima uestigia habent EVSEBIUS, SOCRATES, SOZOMENUS, THEODORITVS, cett. obseruata a uiris doctis et in ea luce collocata, qua, incredibile dictu est, quantum ad *Historiam* *ciuilem* contulerint. Atque hac de causa magnae semper laudi datum est doctissimis uiris, *Pirboeis*, *Baronio*, *Pagio*, *Tillemontio* et aliis qui in *Historia* explicanda ita semper uersati sunt, ut uel ad *Historiam* ecclesiasticam *ciuili* uel ad *ciuilem* ecclesiasticae *Historiae* mutuis auxiliis uterentur.

Iis ecclesiae Scriptoribus, qui in *Historia* ueteri aliquem usum praebere possunt, annumerandos etiam puto *Apologetarum* complures, maxime posterioris aetatis. Nam cum aduersarii doctrinae christianae nouam, qua uterentur aduersus religionem christianam, criminationem ⁿ⁾ excogitassent;

D 2

omnes

m) De cognatione illa, quam *Historia* eccles. habet cum *ciuili*, bene exponit FRANC. SALMONVS in libro *de studio Conciliorum* (*Traité de l'étude des Conciles*) p. 113. seqq.

n) Haec criminatione usus est imprimis SYMMACHVS in nota illa *Epist. pro ara Victoriae* (Epp. lib. X. ep. 22.)

omnes nempe calamitates, omnes clades, omnia illa teterrima et crudelissima bella, quae tunc temporis orbem terrarum misere affligebant, a religione christiana, tanquam a pestifero quodam fonte, ortum trahere suum; id sibi negotii datum crediderunt scriptores christiani, ut, quae isti tam inuidiose criminati essent, diligenter et omnium temporum historia in auxilium uocata, diluerent. Hinc multa retulerunt in libros suos, petita ex antiqua historia, quam contra falsam istam criminationem quam maxime ualere arbitrabantur. Tales sunt v. c. AVGVSTINI libb. *de Ciuitate Dei* et OROSII libb. *Historiarum contra Paganos*.

Aliud genus Scriptorum ueteris ecclesiae, unde nonnulla, remotiora illa quidem, sed tamen et ipsa Historiae nonnihil profutura, hauriri posse uideantur, est eorum, qui *Orationes funebres* ^{o)} scripserunt, quales e. c. AMBROSII habemus. De cautionibus quidem, quae in eo genere adhibendae sunt, nihil attinet hoc loco dicere, cum non sint ignotae; quas si quis doctus et rei peritus rite adhibeat, in talibus etiam scriptis ea deprehendet, quibus Historiae, et, quae ipsa est Historiae pars, *Genealogiae* paullulum lucis affundat.

Quae

- ^{o)} Praeter Orationes funebres huc etiam pertinent aliorum generum Orationes s. Homiliae, uariis occasionibus habitae, quarum complures, dici uix potest, quantum ad illorum temporum historiam momentum faciant. Quo in genere excellentes imprimis sunt multae Homiliae IO. CHRYSOSTOMI ueluti illae *de Statuis ad popul. Antioch.* T. I. *de Sancto Martyre Babyla*, ibid. in *Eutropium Eunuclum Parricium et Consullem* T. IV. cett.

Quae protuli adhuc, ad scriptores pertinent eos, qui at-
tigerunt tantum historica eaque, aliud quasi agendo, intexue-
runt libris suis. Sed mentio facienda est etiam eorum eccle-
siae Scriptorum, qui de consilio Historiam ciuilem tractarunt.
Horum omnes ad duo, ut uidetur, genera referri possunt.
Primum est eorum, qui unam uel alteram partem Historiae
ciuilis tradiderunt, ut ISIDORVS, in *Histor. Vandal.* IOR-
NANDES, in lib. de *rebus Gotthicis*; PAVLLVS DIACONVS,
in *Historia Longobardica* aliique complures, quibus in historia
illorum temporum carere nullo modo possumus. Ad alte-
rum genus pertinent *Scriptores Chronicorum*, quorum satis ma-
gna copia est, ueluti, *Chronicon* EVSEBII, latine uersum ab
Hieronymo; P) item *Chronicon* PROSPERI AQUITANI, CAS-
SIODORI, ISIDORI, VICTORIS TVNNVNENSIS, *Chroni-*
con Paschale, item SYNCELLI *Chronicon*, cett. quae nomina-
se in praefens sufficiat. Nam de omnibus sigillatim dicere
eorumque usum separatim explicare, id uero haut paullo lon-
gius esse uideo, quam ut pars huius fieri disputationis possit.

Veniendum igitur est ad cognatas Historiae litteras, *An-*
tiquitates nempe, *Chronologiam* et *Geographiam* ueterem; quae
quomodo adiuuentur Scriptoribus ecclesiasticis, locus est, ut
breuiter dicamus. Et ad *Antiquitates* quidem ritusque uete-
rum populorum, maxime Graecorum et Romanorum quod
attinet: primum nominandi sunt apologetici Scriptores, qui
praeter alia Antiquitatis capita *Mythologiam* inprimis bene ex-
planant.

D 3

planant.

p) Exstant tamen non contemnenda etiam fragmenta *Lexiconis* graeci e Synce-
llo, Cedreno, *Chronico Paschali* collecta a IOS. SCALIGERO.

planant. Nam cum uanitatem Idolorum, ut loquitur CYPRIANVS, qui peculiarem libellum de hoc argumento scripsit, conuincere propositum sibi haberent; fieri non potuit, quin multa afferrent, quae ad totum illum locum de *Diis commentitiis* ueterum populorum et de *ειωλοτατειας* ritibus illustrandum ualde accommodata sunt. Exempla multa suppeditabunt TERTVLLIANVS, CYPRIANVS, LACTANTIUS, ARNOBIUS, MINVICIUS FELIX, AVGVSTINVS lib. I. de C. D. et inprimis TATIANVS Orat. προς Ελληνας et CLEMENS ALEX. lib. I. *Στρωματειων*. Alterum Antiquitatum caput, cui explicando prodesse possunt scriptores ecclesiae, est difficillimus ille locus de *Dignitatibus aulae rom. et byzant.* In quo loco etsi principatum tenet ZOSIMVS, scriptor non christianus, multa tamen huius generis debentur etiam AMBROSIO, ATHANASIO, CHRYSOSTOMO, SYNESIO et aliis magni nominis Praefulibus, qui, cum saepe numero in Palatiis principum uersarentur, hac in re inprimis locupletes auctores existimandi sunt. Omitto multa alia, quae pertinent ad Antiquitates et quae passim in Scriptoribus ecclesiasticis lucem accipiunt. Exempla egregia sunt apud TERTVLLIANVM in *lib. Praescript. adu. Haereticos*, de pontificalibus libris Numae; apud EVSEBIVM *lib. 4. 5. 6. Praep. Ev.* de fraudibus et fallaciis ueterum oraculorum; apud SIDONIUM *Apollinarem carm. 23.* de Circo; apud ALCIMVM *ECDICIVM AVITVM in Inscript. ep. ad Sigismundum regem*, de singulari maiestate nominis patricii. Et talia innumerabilia obseruabit diligens et doctus Scriptorum ecclesiasticorum lector.

In *Chronologia ueteri*, ut ad eam nunc ueniamus, primo operae pretium est animaduertere, magnam partem antiquorum, quae restant, Chronologiae fragmentorum deberi *Apo-*
logeti-

logetis Christianis. Fidei causa ponamus exempla aliquot. Talia sunt fragmenta BEROSI de Babylonis regibus a Nabopalasso usque ad Cyrum apud EVSEBIUM in *Praep. Ev.* p. 455. ed. Col. aut potius Lips. item ABYDENI ibid. p. 456. et alia apud eundem Eusebium; cui addi potest CLEMENS ALEX. qui in lib. I. *Στοιχείων* p. 335. de Chronologia Historiae graecae et p. 320. de eadem cum Historia Iud. et Aegypt. comparata, bona ex Autoribus antiquioribus excerpta habet. Sed maxime in hoc genere dominantur *Scriptores Chrono-
rum*, neque eam solum ob causam, quia in illustranda Chronologia eorum ipsorum opera versatur, sed etiam ideo, quia antiquiores scriptores compilarunt, quorum saltem ἀποσπασματα hac ratione ad nos peruenere. Nihil dico de indicibus Imperatorum Romanorum et aliorum regum, qui passim apud Patres inueniuntur, ueluti Catalogus ille Imperatorum Rom. et Regum Aegypt. apud Epiphanium in lib. de ponder. et mensur. quamuis et de his et imprimis de Fastis consularibus, qui fere toti ex scriptoribus ecclesiasticis fluxere, copiose exponendi, non desit materia.

Restat, ut *Geographiae ueteris* breuiter mentionem faciam. Atque de Geographia quidem sacra et ecclesiastica, cui, si Acta Conciliorum excipias, maximum subsidium ex scriptis Patrum comparatur, de ea igitur et patet per se et suo etiam loco dicitur. Hic, non alienum sit, primo illud uno tantum uerbo monere, ipsius Geographiae ecclesiasticae inuestigatione, ueteris et mediae imprimis Geographiae studium uniuerse adiuuari; id, quod v. c. de Geographia AFRICAE tam clarum est, ut ne exemplum quidem, necesse sit, ponere. Deinde animaduerti etiam, in scriptoribus ecclesiasticis passim

passim occurrere cum longiores ad Geographiam pertinentes disputationes, ut apud OROS. *Histor.* lib. I. et apud BEDAM *Venerab.* T. I. Opp. in libello, qui inscribitur *de mundi constitutione*, tum breuiores obseruationes geographicas, quae tamen per saepe magni sunt momenti; e. c. de Nomis Aegyptiis apud CYRILLVM ALEX. ad Ef. c. 19; de Ctesiphonte et Coche, Babyloniae urbibus, apud GREGORIVM NAZIANZ. Orat. 4. quae est Inuectiua 2. *in Iulianum*; de Seleucia Isauriae, Trachea cognominata, apud SOCRATEM H. E. lib. II. c. 39. cett.

Sed de his satis dictum uidetur, pro mei quidem instituti ratione. Verum restant mihi nonnulla, ad primam disputationis meae partem adhuc pertinentia, nempe de adiumentis, quae *arti Rhetoricae* et *Iurisprudentiae* elegantiori afferant Scriptores ueteris ecclesiae. Ea, quoniam consilium nostrum attingunt, disputatio etiam nostra, ne quid praetermisisse uideamur, leuiter saltem attingat.





2.K.414/18.

X2346519

DE

Hi
2019

VSV SCRIPTORVM VETERIS ECCLESIAE

DISPVATIO ALTERA

AMPLISS. PHILOS. ORDINIS CONSENSV
PROPOSITA

A

SAM. GODFR. GEYSERO

PHILOS. ET LL. AA. MAG

RESPONDENTE

THEODORO IOANNE ABRAHAMO SCHVTZIO

WENDISCHOSS. LVSATO S. TH. CVLT



DIE IVLII A. C. 1766 LXX

HORIS POMERIDIANIS

VITEBERGAE



EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHIVS

